UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia|| Ivridica,|| Sev Ivs Civile Theologicvm,||

Fickler, Johann Baptist

Dilingæ, 1575

VD16 F 976

Vt sint largi in erogandis elemosynis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63414

Visual Library

IDEM IN CONST. 115. §. NVLLVM alium, apud eundem Iulianum P.

Clericus ſit literatus, honeſtus & Catholicus.

NVllum alium clericum concedimus creari, niſi eum, qui literas ſcit, et rectam fidem & honeſtam vitam habet, &c.

IN CLERICO REQVIRI CASTITATEM.

IDEM IVST. IN AVTH. DE SANCTISS. Epiſc. &c. §. Clericos autem.

Clericis nec vxores nec concubinæ concedi debent.

CLericos non aliter ordinare permittitur, niſi vitam habeant honeſtam, & neque concubinam aut naturales habeant filios, aut vxorem, ſed caſtè viuentes, &c.

IDEM IN CONST. NOVELL. CXV. apud Iulian. Patric. §. nullum alium.

NVllum alium clericum concedimus creari, niſi eum qui honeſtam vitam habet, & neq; concubinam, ſed caſtitate præditũ, &c.

Sed de hac materia tractabitur infra copioſius in Capite. De cœlibatu.

VT SINT LARGI IN EROGANDIS EELEMOSYN.

CONSTANT. IMP. ET IVLIAN. CAES. in l. 2. C. de epiſc. & cler. &c.

Clericorũ licitè acquiſita bona ad pauperes ſpectare.

QVicquid clerici vel parſimonia, vel prouiſione, vel mercatura, honeſtati tamen conſcia, congeſſerint, id in vſum pauperum atque

atque egētium miniſtrari oportet: quod enim hoc modo conquiri potuerit & colligi, collectum id religionis exiſtiment lucrum.

CLERICIS ALEÆ LVSVS PPOHIBETVR.

IVSTIN. IMP. IN AVTH. INTERdicimus. C. de epiſc. & cler &c.

INterdicimus presbyteris, diaconis & ſubdiaconis, & lectoribus, & omnibus aliis cuiuslibet ordinis venerabilis collegij, aut ſchematis conſtitutis, ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes eſſe, aut inſpectores fieri, aut ad quodlibet ſpectaculum ſpectandi cauſa venire. Si quis autem ex his in hoc deliquerit, iubemus hunc tribus annis à venerabili miniſterio ꝓhiberi, & in monaſterium redigi, &c.

Clerici nec alea ludere, nec luſui vel profanis ſpectaculis intereſſe debent.

IDEM IN L. XXIIII. (QVAE ALIAS eſt in lib. prætermiſſor. Cod. claſſe. 1.) C. de Epiſcop. audien. &c.

CLericus qui ludit aleis, vel cum ludentibus conuerſatur, eisq; aſsidet, quiq; theatra, arenam, Circum frequentat, ab omni ſegregetur miniſterio clericali, annonisq; ſuis priuetur, & tempus illi ad pœnitentiam definiatur, intra quod ſi dignè pœnitere videatur, ſacerdotali miſericordia & indulgētia dignus habebitur, ſi verò in vitiis perſtiterit, eiicietur, è clero. & ipſe cum ſuis facultatibus curiæ ciuitatis in qua clericus erat, mancipabitur.

Pœna clerici, aleatoris, vel profanis rebus ſtudentis.

IDEM